

280

278

284

274

289

269

329

229

379

179

Ende

Anfang

265

Erat quippe magnus valde. Nam fideles post decursum temporum lapidem illum secaverunt, partem juxta sepulchrum Domini dimittentes, et aliam partem ad hanc ecclesiam transtulerunt, et pro tabula et mensa altaris ordinaverunt. Hunc sanctum lapidem deosculati sumus et curiosius inspeximus. Porro presbyteri ecclesiae diligentissime observaverunt nos, ne quis aliquid instrumento ferreo a lapide decerperet, quia valde venerantur lapidem illum, et nisi lapis ille fuisset, anno praeterito locum vendidissent, quia sunt pauperrimi Armeni, monachi, et paupertate cogente volebant locum fratribus minoribus vendere, quia non poterant ecclesiam et monasterium in suis structuris conservare; ita tamen volebant locum vendere, ut lapidem illum secum tollerent, quia cum lapide nequaquam volebant vendere. In hoc autem anno venit quidam praedives Armenus in Jerusalem, et ruinas ecclesiae et claustrum refecit, et manum adjutricem istis pauperibus praebuit. In prima mea peregrinatione venit mihi ad manus satis magna portio de illo lapide, quam quidam miles emit duobus ducatis a clero Armeno, qui cum milite ecclesiam ingressus furtive, ne alii Armeni perciperent, decerpserit a lapide particulam. Idem autem miles in mari obiit, et particula illa mihi pro haereditate mansit quam Ulmam mecum duxi. Deinde venimus ab altari recessentos juxta altare in dextro latere, per ostiolum parvum ingressi sumus in cellulam strictam et tenebrosam, muris spissis cinctam, et non nisi unius hominis stantis capacem; unde unus post alium ingrediebatur. Haec cellula fuit inclusorium, in quod examinati et judici praesentandi et occidendi includebantur usque ad tempus praeresentationis. Sic Dominus Jesus examinatus fuit etiam ibi reclusus, stans ibi tribus horis, manibus a tergo ligatus, oculis velatus, vultu consputus, opprobriis repletus, frigore afflictus. In hoc loco prostrati devotius oravimus et gratias Redemptori egimus. (103 A) Consequenter de ecclesia egressi sumus in curiam vel atrium ecclesiae, ubi erat ignis, circa quem stabat Petrus cum ministris, quando negavit Dominum, et quando Dominus eum respexit. Insuper locus, ubi gallus stetit, ad cuius vocem Petrus se ipsum recognovit, monstratus fuit nobis, quae omnia cum devotione vidimus.